



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. De Bernardo Ochino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

animi pietatem semper in omnibus ostendisset, tandem cum Valdesio unanimi consensu (Nota amplum & mirificum duorum apostatarum concilium!) Deo Ecclesiam Neapoli colligere decrevisse, cui complures & nobilitate tam viri quam femina nomen de lerint. Sed quæ sit Beza, ubi est Neapolitana illa Domini Ecclesia? Quæ si unquam fuit, inuisibilis certe, aut prius fere denata, quam nata fuit. Hæcine firma illa fuit & solida & perpetua veræ Ecclesiæ monumenta? Super arena quidem illam ædificatam fuisse, præpropere eius ruina demonstrat. Si enim petram illam pro fundamento habuisset, certe ne inferorum quidem portæ unquam contra eam errant prævalituræ. Nihil vero magis metuebat Martyr quam ne Romam ad dicendam causam mitteretur, ut quod dicitur quam carpitur micissimæ matris Ecclesiæ lenitate iam ante esset abusus; à qua ob eandem causam euocatus, quam non tam innocentiam suam probasset quam melioris frugis imposterum spem fecisset, absolutus, & Lucam remisit, ubi prima, si Beza credimus, Christianismi fundamenta iecit, cum iam Luca 400. antea annis Christianam Fidem esset amplexa. Hic ego fatismirari non possum scriptorculorum eiusmodi infortiam atq; stultitiã, qui ex Apostatis Inuisibilium ecclesiarum Apostolos faciunt. Quales & cuius illi sint apostoli, vel ex eo in Martyre videre est, quod Religiosis quibusdam Neapoli degentibus auctor fuisse dicitur, ut in monasteriis existerent, ac foris sibi maritos quærerent. In hæc enim vna vere regia vrbe, vltra quatuor & viginti Deo dicatarum virginum, ut quidam supputant, sunt Conventus. Quæ quidem in re Martyr boni illius & casti, scilicet (a) Lutheri exemplum sequutus est, qui non secus ac famelicus aper vineam aliam quam vis grauidam, sic ipse monasteria deuastare atque euertere conatus fuerat. Idem sane facturus erit Martyr, si aditum repetire potuisset, ut cuius omnia vota & desideria ad Mõniales eiusmodi tendebant, cucullo interrim alijs, qui aspera delectarentur vita, relicto. Quid mulieribus nullas magis suspirabat, nullas magis ardebat puellas Martyr, quam inclusas illas virgines, quæ sub velo illo sacro natium colorem ac formæ gratiã multo facilius, quam ceteræ, conseruant. Ergo etiã ex his primã sibi vxorẽ duxit, eaq; defunctã, alterã. Nihil enim inspirare diabolo, magis cupiunt Apostata, quã ut quamplurimos perfidie suæ socios sibi adsciscant, quin etiã ipsẽ persuader, eiusmodi feminarum consuetudinẽ plus quã ceterarum delectationis habeat: eo nempe, quia plus habet peccati, dum sacrum Deo domicilium violatur.

IV. Martyr ergo doctus (nomine non re, ut qui nihil minus quam verus esse Martyr cuperet) iam dudum ignem quod dicitur, in calcibus sentiens, è monasterio aufugit; perq; Florentiã iter faciens, Bernardinum Ochinum Capuciniani ordinis monachum alloquutus esse dicitur, qui Romam paulo ante citatus fuerat, quod pro concione quædam secus dicta effudisset. Tantus enim tunc paupertatis amator erat Ochinus, ut publicè dicere nõ vereretur, diuitias partem esse diaboli, nec licere Christiano quidquã habere propriũ: quæ opinio specie pietatis velata iam, dudũ ab Anabaptistis alibi iactata fuerat. In tantã vero tũ erat exultatione, ut vnus optimus torius Italiae concionator haberetur; ut qui admirabili quãdam quã actione tum linguæ facundia auditorum animos quocumque vellet raperet: ac tantò magis, quod vita doctrinæ consonaret. Duo igitur hi monachi, in eadẽ naui versari se animaduertentes, ne Romam perlatis naufragium ibi facerent, in quemcumque alium portum appellere statuerunt. Tutissimum vero visum fuit in Heluetiam vel Geseuam, omnium eiusmodi hominũ asylum, vel ut sentinam Italicam, se recipere. Intellexi è Monacho eiusdem ordinis, à Ferrariã Ducissa Ochini fugam adiuuam, eique vestes & alia necessaria suppeditata. Tigurini quidẽ & Basileenses eorum adventum initio suspectum habuerunt. Ut qui fatismirari non possent, quod concionatores totius Italiæ celeberrimi tam vili statu, in exilio veluti, apud se viderent: eoque suspicabantur eos tamquam Sineses summissos: qui prodicionem aliquam machinarentur, aut animas quas in viam ipsi (scilicet) reduxissent, clam seducerent. De Ochino tamen omnem tollebat suspicionem quod puellã iuuentulã, quam spe matrimonii in seclatam seclum abduxerat, comitatus venisset, tum quod militarem vestitum, quem cum Capucinianis illis centonibus comparat, assumpsisset. Hic igitur ut indissolubilem cum hæresi contractum faceret, cum puella illa matrimonium contraxit, quo viso nihil de Ochino dubij, quin sincere Apostatam ageret remansit. Hic enim est Gordius ille nodus, quo ij, quos superbiã & libidinis fervor monasterijs evomit quasi, atque expellit; hæresi quam arctissime devinciuntur.

IV. Ochinus cum uxore aliquamdiu Genevæ commoratus ad tantam paupertatem fuit reductus, ut servilibus illa & abiectis ministerijs vitam

ff 3 mi-
a Vide Conradi Andrea Lutherum castum, per proprios colores suam et manu depictum.

mifere sustentavit, vulgo *Madame d'Ochina* la linguere, id est, necrix vel lotrix, dicta. Parum quippe re ex Italia secum asportavit ille tam paupertatis amans, ut proprium quid habere Christiano nefas putaret, nisi mulierem. Porro Ochinus cum Calvinò, à quo unice amabatur & magnificabatur, sæpius colloquutus, ac Servetii secreta de Trinitate expiscatus, quam animum suum contrariis opinionibus distrahi sentiret, Tigurum se recepit, non multo post inde ejectus, uti etiam Basilea. De quo Dudithius Quinqueecclesiensis ille Pseudoepiscopus in epistola ad Bezam doleatè conqueritur, ac summam illis exprobat crudelitatem, qui asperrima hyeme, vijs omnibus nive & glacie impeditis miserum hominem, non cogita prius causâ, unâ cû uxore & liberis expulerint; nequaquã Christianis hæc digna esse aiens. Cui respondit, sibi quoq; permolestum fuisse quod Ochini uxor fuerit expulsa: quæ tum, paullo ante, horribili Dei iudicio, misera collum sibi fregerat, apostatarum non infolito post Judam exemplo, vel pœna.

Ochinus Basilea discedens quã accepisset magnum illum Franciæ Prælatum Carolum Cardinalem Lotharingum, Roma te deuntem, illac iter facere, eum accessit, & ad pedes ipsius abiectus, ut pro se ac sui reconciliatione apud S. Sedem intercederet, suppliciter rogavit, pollicitus, se plusquam centum damnabilis hæreticorum, quos longa apud ipsos conversatione cognoverat, errores demonstraturum. Sic Beza ipse scribit. (a) At optimus ille Princeps monstrum hoc sine errore aspicere non potuit, nec prius verbis illius aut promissis auscultandum censuit. Quam dignam malefactoris suis pœnitentiam egisset, Repulsam ergo hic passus, in Germaniam abiit, inde in Poloniam, ex Calvinista paullo post Arrianus factus, ut libro quarto quando de hæresibus populorum Septentrionalium nobis sermo erit, latius ostendam. Inter alia vero scripta librum ibi composuit *De Polygamia*, Sigismundo II. Poloniæ regi dedicatum; in quo Veteris Testamenti auctoritate demonstrare nititur, licere Christianis plures habere uxores. Idem dogma ab eodem Cracoviæ pro concione publice iactatum, Rescius scribit (b) Quid quæris? Non minor femininum ibi sexum pavor ac consternatio invaserat, quã Romanas olim matronas, à Papyrio Prætextato deceptas: sic ut miser Ochinus, cui feminæ exprobrabant, quod uxorem Geneva reliquisset, etsi casu illa perierat: urbe non multo post cedere & in Transylvaniam aufugere

fit coactus. Ibi Dialogos quosdam scripsit, qui postea in varias linguas, à Castalione vero in Latinè translati sunt: in quibus purum putum Diagonæ se discipulam demonstrat. Ait vero diabolicus hic apostata, (c) *Dialogos de materia tam sublimi ideo à se compositos, quod intelligat diversas in Reformatis ecclesijs de Trinitate ac divina Christi natura esse opiniones.* Idem infelix homo ait, nullibi se reperire vel Spiritum sanctum vel Servatorem nostrum, Deum appellari; seque ad monasterium redire, quam istorum sententiam comprobare malle. Quarto vero dialogo Philosophum introducit contra Spiritum S. disputantem, ubi inter alia dicit, *Christum Deum non esse, sed tantum Filium Dei: quia vero idem supra ceteros homines à Deo amatus & honoratus sit, humana quadam adulatione & Monachorum inventionem Deum appellat.* Ut enim Maria ab eisdem caelorum Regina, Maris stella, Angelorum domina per adulationem vocetur; ita Christum ab illis Patri coæternum, æqualem, consubstantialem, &c. Talibus infœditis atheismis infamis ipsius Catechismus, anno MD XCI. recusus scæter. Vide quòd miser hic redactus fuerit: qui quamdiu in Ecclesiæ obedientia mansit, instar lucidissimæ stellæ ordini suo præluxit; sed quamprimum in lacum Geneva sem præcipitavit, lucem amisit, æternis tenebris iam damnatus. Et quemadmodum lampas quamdiu ardet, gratum de se lumen spargit; extincta vero teterimum fœtorem emittit; sic Ochinus quamdiu sanctas ordinis sui leges ac regulas custodivit, fidem integram animo conservavit; ea vero hæresibus obscurata atque extincta, factus est horribilium impietatum atque atheismorum cloaca, quibus ille Ecclesiam Dei non mediocriter afflixit. Est enim ita comparatum, ut nemo plus mali facere possit, quam qui plus boni facere potuisset. Sed quid horum duorum casum miramur, quum primitiva Ecclesia magni illius Tertulliani lapsum viderit; qui & ipse universam Ecclesiam graviter percussit atque afflixit. Quis hoc fuit doctior? quis magis in divinis ac humanis rebus versatus? Ille, inquam, qui nihil unquam aggressus est quod vel ingenij vigore vel auctoritatis suæ pondere (ut Lirinensis noster testatur) non perfecisset: quippe scriptis suis omnes Marcionis, Prætextati, Judæorum ac Gentilium errores in abyssum depressit. Hic tamen tam doctus, tam sapiens, tam gravis Afer, à Catholica religione ad Montani hæresin transiit. Cur ego, iterum dico, Martyris & Ochini

a Epist. 1. b In Atheis. Martyris. c In Præfat. Dial. 2.

chini apostasiam miremur, quum post Tertulianum Origenes quoque tam miserabiliter lapsus sit cuius nobilitatem, sapientiam, temperantiam, vitam sanctitatem, raram eloquentiam, & scientiam incomparabilem & præterita & præsentia a que etiam futura sæcula nunquam potuerunt, possunt aut potuerunt satis admirari. Sed uimur Tertullianum iracundia. Originem fastus & arrogantia, duos uero hos de quibus loquor, Martyrem & Ochinum, libido perdidit.

Porro apud Calvinistas Ochini scripta etiam nunc in pretio habentur. Noui ego nobilem in Aquitania nostra feminam, quæ ex Ministri sui seu Prædicanti consilio nullos fere alios libros in sinu & manu gestabat quam qui ab Ochino scripti essent. Eadem uero vehementer obtupuit, quum quod de illo Caluini primus Geneuensis Pontificis, tum etiam eius in eodem munere successoris fuisset iudicium ad oculum ipsi demonstrassem. Ille enim in Præfatione eius libri qui de perfidia Gentilis euulgatus est, Ochinum aperte dicit Ariarium fuisse & Antitrinitarium. Et alibi de Martyre loquens ait (f) *Ex Italia descendens, fortuna comitem habuit Bernardinum Ochinum, Monachum inter Italos valde celebrem, & ordinis Capucinorum auctorem, qui tandem pessimus hypochrita fuit deprehensus. Beza uero ad Dudichium scribens, sceleratum se uisorem, fauorè Ariariorum; Iesu Christi & Ecclesie irrisorem nominat. Nimirum hoc uiciferi se Beza uoluit, existimans se ab Ochino in Dialogo contra sectam deorum terrestrium, designatum ubi ait: Esse quoddam hominum genus, qui quidquid ex ipsorum cerebro natum sit, pro Fidei articulo haberi uelint: eos uero qui sequi ipsos nolint, hæreseos statim condemnant. Quod per somnium ipsi in mentem uenerit (de Zuingho loquitur) scriptis consignari, imprimi, & pro oraculo teneri. Neque uero expectandum, ut à sententia unquam illi discedant. Tantumque abesse ut Ecclesia obedire uelint, ut ab Ecclesia potius ipsi obedire cogatur. Hoc quid aliud sit, quam Papam, quam Deum in terris se profiteri, quam hominum conscientias tyrannicè opprimere? Sic Ochinus de Geneuensibus & Tigurinis loquitur. Quo uero ex hominis huius ad suas partes accessione tanto illultrius ac magnificentius statuere tropæum, cum Capuciniandi ordinis per uniuersum Christianum orbem hodieque longè celebratissimi, auctorem fuisse prodiderunt. Sed falluntur. Capucinorum, qui sunt Religiosi seu monachis secundum primam S. Patris Francisci institutionem reformati, Congregatio initium cepit anno*

MD XXV. Ochinus uero demum anno M D XXXV. cum ordinem est ingressus, & octennium in eo commoratus anno MDXLI. eundem reliquit. Verius est, F. Matthæum Balsium, Clemente VII. Pontificatum administrante, prima huic ordini auspicia dedisse: qui vitam secundum primam S. Francisci eam regulam quam exemplum instituentæ cupidus, lacernam ex multis centonibus confutam & cucullum acuminatum sumit, & à Pontifice petijt, ut hoc uestitus genere, ad S. Francisci exemplum, uti sibi liceret (g) Imperata a Pontifice uenia, duodecim primo socios sibi adsecurit sed eius instituti sectatorum numerus mirum in modum fuit multiplicatus. Deo sic disponente, ut hæresos audacia & impuritas, sancti huius ordinis probitate ac simplicitate retunderetur. Sed uero ad Ochinum redeam: est penes me libellus Italia lingua scriptus, cuius titulus hunc se sumpt æfert: *Narratio, in qua fideliter exponitur quomodo reformatio Fratrum Capucinorum ordinis S. Francisci initium cepit. Composita à Reuerendo admodum P. F. Mario de Mercato.* In hac inter alia narratur, non multo post Ochini apostasiam sancto cuidam homini Patri Ioanni, Hispano natione, Contentus in Calabria Religioso, Deum in sylua Bellimontensi deprecanti, atque inter alia Ochini peccatum & apostasiam deploranti, feruore orationis extra se raptus, Iesum Christum per uocem in aere apparuisse, sic dicentem: *Dic Generali tuo ut bono sit animo, neque enim me unquam congregationem hanc deseriturum quantisper illa se intra regulas ad seruitium meum ordinatas continebit. Cajum uero Senensis illius à me ideo permissum, ne reliquum gregem inficeret.* Eadem uisio eidem in sylua ad Fossam Semprouij sese obtulit, ut idem ille sanctus homo narrat, qui in hoc mundo martyrij coronam adeptus iam æterna illa & immatensibili æterni gaudij corona à Deo est coronatus. Post hæc enim uisionem, incredibili domini & magistri sui ipsi in uisere dignati in census amore, ex Generalis sui consentu in Indiam nauigauit, ubi prædicans Iesum Christi Euangelium, ad ipsius exemplum, uia cum socio cruci fuit affixus.

V. Porro Martyr ille falsus non fuit rei malæ martyrem uelis intelligere Tigurinorum pertæsus, Argentoratium abiit, ut Bucerum uideret: ibique primas contraxit nuptias cum pulcherrima quadam mortali Catharina nomine. Iuuenula huius
amo.

& Cal. ad Polonos. g. Vid. Moris. Hist. Relig. cap. 65.